



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Prima Regula Est Perpetua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

DE CONDITIONIBVS.

CONDITIONVM alix sunt honestæ, & pertinentes ad coniugium. Alix peregrinæ, nihil pertinentes ad coniugium. Alix turpes. Alix impossibiles.

PRIMA REGVLA EST PERPETVA.

CONDITIO honesta, & pertinens ad coniugium, adiecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissoluit contractum. Quales sunt hæ conditiones, Si parentes consenserit. Si dos mihi dabitur pro nostris facultatibus conueniens. SED cum sequitur conscientiam, non expectata conditionis impletione, ea coniunctio iudicatur esse coniugium, quia personæ conuenientes discedunt à conditione.

ALIA REGVLA.

SI uero est conditio peregrina, non pertinens ad coniugium, ut: Ducam te, si dederis mihi centum aureos, ubi non intelligitur dotis mentio, talis conditio intelligitur esse otiosa, & pronuntiatur pro coniugio. Talis est conditio: Ducam te, si Cæsar inferet bellum Turcis. Pronuntiatur etiam pro coniugio, cum adduntur conditiones turpes, aut impossibiles, ut: Si inuenero te uirginem. Item: Si dabis mihi Byzantium. Hæ conditiones tanquam non additæ rejiciuntur, fortassis quia gubernatores sophisticam & petulantiam in decipiendo misero & imbecilli sexu prohibere uoluerunt.

DE ERRORE REGVLA
TRADITVR.

DISSOLVI posse sponsalia & coniugium, propter errorem personæ, non propter errorem fortunæ, id est, cum dolus interuenit, seu error de homine, sicut Iacob tradita est Lia pro Rachel. Sed Iacob non est usus summo iure. AT propter errorem fortunæ non dissoluntur sponsalia aut coniugium, ut si qua putet, sponsum esse diuitem aut nobilem, aut non habere liberos. Talis error nihil ad substantialia coniugij pertinet. VETVSTAS de uero quadam errore fortunæ etiam pronuntiavit, posse dissolui contractum, uidelicet, si quis liber ignorans ducat seruam, putans esse liberam. Hæc constitutio prorsus politica est, & nunc, quia uetus consuetudo de seruis in Europa magna ex parte abolita est, non indiget longa disputatione. Olim uero causa fuit eius constitutionis, quia nati ex ancillis excludebantur à successione, quæ propria erat ingenuorum. Sed cum liber sciens ducit ancillam, Ecclesia non dissoluit, sicut inter Abraham & Agar uere coniugium fuit.

ALIA